



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs V. Vtrum sint plures proceßiones in diuinis, quàm duæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

distinguitur ab ea; non primū: alioquin non esset A
vera & realis trinitas personarum in diuinis; ergo
secundum. Differunt autem numero per hoc
communi, quod est hypostasis vel persona. Po-
sterior verò pars probatur; quia absolute loquē-
do sunt vnum numero, quia sunt vnus numero
Deus; nec sunt plura indiuidua Deitatis, propter
vnitatem naturę, licet sint tria supposita propter
tres oppositas relationes subsistentes.

TERTIA CONCLUSIO: Hypostases diuina
differunt secundum speciem proprietatis personalis.
Hęc est D. Th. & patet ex dictis.

QUARTA CONCLUSIO: Ex hoc quod proprie-
tates personales specie differunt, sequitur optimē diui-
nas personas differre specie proprietatis personalis.
Probatur; quia idem est constitutum in specie
& distinctum, vt patet inductiue.

VLTIMA CONCLUSIO: Processiones diuinae sunt
differentes quasi secundum speciem dupliciter; Vno
modo propter differentiam proprietatum persona-
lium, alio modo propter differentem modum siue ratio-
nem termini formalis, vt explicatum est.

Argum. & solutio. CONTRA secundam concl. quo ad priorem e-
ius partem possunt asferri tria argumenta Radae,
pro sua prima conclusione, quę tantum probant
posteriorem huius nostre conclusionis partem.
Contra quam vide si placet argumenta Bannef. &
Zum. ab eis soluta.

Rad. obi. 4. CONTRA quartam conclus. argument. Rada.
concl. Magis conueniunt constituta quā constituen-
tia; ergo ex distinctione specifica constituentium
diuinas personas, non licet inferre distinc-
tionem earundem personarum specificam. Conseq.
probatur; quia constituenta non distinguunt cō-
stituta eadem distinctione, qua inter se distinguū-
tur; nam differentia vltima specifica sunt inter
se primò diuersę, non tamen species per eas con-
stituta. Respond. antecedens falsum esse in sensu
formali, vt satis ostendimus. Si autem intelligat-
ur de constituentibus, vt entia quędam sunt se-
cundum se, negatur sequela; quia specifica distin-
ctio constituentium, non potest illis conuenire
nisi vt constituenta sunt, vt ante diximus; Ad
probationem dico; eam procedere de ea distin-
ctione, quę conuenit constituentibus tantum se-
cundum se & materialiter, non vt constituenta
sunt. Vnde Aristot. in 3. Metaph. ex propria ratio-
ne differentię, prout distinguitur à rationib. spe-
ciei & generis, probat de illa non prædicari ge-
nus; quo loco vide si placet expositionem D. Th.
ex quo patent etiam solutiones, quas adhibet Ra-
da quibuldam argumentis pro hac nostra con-
clusionem, nullius esse valoris.

Rad. obi. vlt. concl. 1. CONTRA vltimam conclus. argumentatur idem
author. Primò: Si differentia istarum produ-
ctionum desumenda est ex differentia proprie-
tatum personalium; ergo huiusmodi emanationes
per se tendunt tanquam in terminos formales in
huiusmodi proprietates; sed consequens est fal-
sum; ergo. Probatur consequentia; quia secun-
dum doctrinam D. Th. distinctio emanationum,
sicut & motuum, ex terminis formalibus desu-
mitur; falsitas consequentis probatur; quia tunc
nulla istarum productionum esset vniuoca:
quia producens & productum non conueni-
ent in termino formali productionis, nec pri-
mo nec secundario. Resp. nullam esse consequent.
Ad probationem resp. D. Tho. loqui de distin-
ctione quę fit secundum speciem simpliciter siue
absolute; non autē de illa quę fit secundum pro-
prietates indiuiduales. Secundò dico processio-
nes diuinas esse ad multiplicationem hyposta-
sum in vnitatem naturę, & ideo processionem per

se primò terminari ad naturam, vt terminum for-
malem siue vt quo: ad personam verò proceden-
tem vt terminum productum, ad proprietatem
autem concomitanter siue consequenter.
Nec est necesse producens & productum conue-
nire in termino concomitante vel consequen-
te, & præsertim si illud concomitans sit proprie-
tas indiuidualis. Et per hęc patet solutio ad
quędam alia similia eiusdem authoris argumen-
ta.

Secundo: Proprietates personales diuinarum obi. 2.
hypostasum, habent se respectu earum, quasi ad
modum differentiarum indiuidualium in crea-
turis; sed ex differentia & distinctione differen-
tiarum indiuidualium, non licet inferre, quod
eadem distinctione distinguantur productiones
indiuiduorum, quorum sunt differentię; ergo
nec ex distinctione proprietatum personarum
diuinarum specifica licet inferre, quod produ-
ctiones earundem personarum distinguantur
specie. Probo (inquit) minorem; quia differentię
indiuiduales Petri & Pauli sunt primò diuersę &
quasi alterius rationis; productiones tamen Petri
& Pauli nec sunt primò diuersę, nec alterius ra-
tionis & speciei. Resp. primò magnam esse differen-
tiam inter proprietates personales diuinarum
personarum comparatione emanationum ipsa-
rum personarum, & differentias indiuiduales in
creaturis comparatione productionum ipso-
rum indiuiduorum. Nam proprietates perso-
nales diuinarum personarum, idem realiter sunt
quod emanationes; nam generatio passiva idem
est quod filiatio, nec differt nisi modo signifi-
candi; quia illa significatur vt processio, hæc au-
tem vt relatio; differentia autem indiuidualis in
creaturis, non est idem realiter quod ipsa genera-
tio passiva indiuidui. Secundo admissa etiam iden-
titate, quę valde probabiliter potest sustineri;
negatur minor argumenti. Ad probationem nego
differentias indiuiduales esse primò diuersas,
quatenus sunt indiuiduorum constitutiuę; nam
quamuis secundum se minus conueniant, quā
indiuidua; quatenus tamen sunt eorum constitu-
tiua & distinctiua, non magis differunt quā in-
diuidua; sicut etiam diximus de differentiis vlti-
mis respectu specierum, quę per eas constituun-
tur & distinguuntur.

Vide etiam argumenta Ban. & Zum. & eorum
solutiones.

ARTICVLVS V.

Vtrum sint plures processionē in diuinis, quā
duę.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod sint
plures processionē in diuinis, quā duę. Sicut e-
nim scientia & voluntas attribuitur Deo, ita & po-
tentia. Si igitur secundum intellectum, & voluntatem
accipiuntur in Deo duę processionē, videtur, quod ter-
tia sit accipienda secundum potentiam. Inf. q. 28. a1
4. cor. & q. 37. a. 1. cor. & q. 41. a. 1. cor. & q. 41. a. 2. cor. & q. 10. a. 2.

2. Præterea. Bonitas maxime videtur esse principium
processionis, cum bonum dicatur diffusivum sui esse. Vi-
detur igitur, quod secundum bonitatem aliqua proces-
sio in diuinis accipi debeat. arg. ad op.

3. Præterea. Maior est fecunditatis virtus in Deo,
quā in nobis: sed in nobis non est tantum vna proces-
sio verbi, sed multe, quia ex vno verbo in nobis procedit
aliud verbum, & similiter ex vno amore alius amor.
ergo & in Deo sunt plures processionē, quā duę.

Sed contra est, quod in Deo non sunt nisi duo proce-
dentes, sicut Filius, & Spiritus S. Ergo sunt ibi tantum
duę processionē.

Respon.

Respondeo. Dicendum, quod processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundum actiones quae in agente manent. Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali, & diuina non sunt nisi duae scilicet intelligere, & velle. Nam sentire, quod etiam videtur esse operatio in sentiente, est extra naturam intellectualem: neque totaliter est remotum à genere actionum, quae sunt ad extra. Nam sentire perficitur per actionem sensibilibus in sensum. Relinquitur igitur, quod nulla alia processio possit esse in Deo nisi verbi, & amoris.

Ad primum ergo dicendum, quod potentia est principium agendi in aliud. Vnde secundum potentiam accipitur actio ad extra. Et sic secundum attributum potentiae non accipitur processio diuina persone, sed solum processio creaturarum.

Ad secundum dicendum, quod bonum (sicut dicit Boet. in lib. de Hebdomadibus) pertinet ad essentiam, & non ad operationem, nisi forte sicut obiectum voluntatis. Vnde, cum processiones diuinas secundum aliquas actiones necesse sit accipere secundum bonitatem, & huiusmodi alia attributa non accipiuntur aliis processiones nisi verbi, & amoris: secundum quod Deus suam essentiam, veritatem & bonitatem intelligit, & amat.

Ad tertium dicendum, quod (sicut supra habitum est*) Deus vno simplici actu omnia intelligit, & similiter omnia vult. Vnde in eo non potest esse processio verbi ex verbo, neque amoris ex amore, sed est in eo solum vnum verbum perfectum & vnus amor perfectus. Et in hoc eius perfectio secunditas manifestatur.

Ratio & Ordo, ac Sensus quaestio.

COMPLETVR hoc articulo doctrina de diuinis processionibus; hoc enim solum possumus querendum supererat: an plures sint diuinæ processiones, quam duae; nam quod pauciores non sint, probatum est 4. 3. & 4. Et questio est primò & directè, non de sola numerica pluralitate, sed de pluralitate formali specifica & reali. Nam de pluralitate purè numerica differit S. D. in 4. qu. 47. art. 6. vbi quaerit: An actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita vt sint plures personae genitae, vel spiratae in diuinis; quamuis etiam difficultatem hanc tangat & breuiter absoluat argumento tertio & eius responsione.

Forma Textus.

CONCL. est: Nulla alia processio potest esse in Deo nisi verbi & amoris. Probatur. Processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent; sed tales actiones in natura intellectuali & diuina non sunt nisi duae, scilicet intelligere & velle; ergo nulla alia processio potest esse in Deo nisi verbi & amoris. Maior relinquitur vt nota. Minor aut probatur: quia si aliqua alia actio immanens esset in natura intellectuali, haec esset sentire, quae est operatio in sentiente; sed haec non est: primò quia est extra naturam intellectualem; secundò quia sentire non est totaliter remotum à genere actionum, quae sunt ad extra; ergo non conuenit naturae intellectuali, & praesertim diuinæ. Anteced. probatur: quia sentire perficitur per actionem sensibilibus in sensum.

Expositio Textus.

TRIA sunt in hoc discursu breuiter explicanda: Primum est maior illa propositio: Processiones in diuinis accipi non possunt nisi secundum actiones, quae in agente manent: quam supra S. D. satis probauerat 4. contra Arrium & Sabellium, & i-

deo eam hic, vt notam absque probatione dimittit. & posset facile probari; quia terminus diuinæ processions est verè & realiter Deus; igitur non est aliquid ad extra productum, quod tamen esset, si non procederet per actionem immanentem; nam tunc procederet per actionem transeuntem, cum non posset fingi tertium actionis genus; quod autem actione transeunte producit, extraneum est & diuersum à natura producentis.

Secundum est vis illius consequentiae: Sentire perficitur per actionem sensibilibus in sensum; ergo non est totaliter remotum à genere actionum, quae sunt ad extra: quae dependet ex perfecta ratione actionis immanentis, quae duo requirit. Primum est vt

nihil efficiat extra operantem, siue illud sit permanens: sicut aedificatio est productio aedis, quae permanet: siue sit transiens, sicut citarizatio quae est effectio foni, qui percussio est aeris, & auditus minimè permanens: quod non videtur aduertisse Iauellus super hoc a. dicens actionem transeuntem immutare exterius obiectum, aut saltem ei non repugnare; quod videtur dixisse propter eas actiones, quae non habent effectum permanentem, quas, vt tales sunt, existimat non esse immutatuas exterioris obiecti siue materiae; cum tamè omnibus suo modo conueniat aliquid exterius efficere vel mutare. Secundum quod postulat ratio actionis immanentis est, vt potentia non inmutetur immediatè ab exteriori obiecto; & sicut per primam conditionem distinguitur actio immanens ab illa entitate, quae est actio transiens, quatenus actio est ad extra productiua: ita per secundam conditionem distinguitur ab illa eadem entitate, quatenus passio est ab extrinseco mouente producta. Ex quo sequitur actionem exterioris sensus non esse perfectè & simpliciter actionem immanentem; quia scilicet sentire saltem antecederet passio quaedam est immediatè ab obiecto exteriori, & secundum hoc pertinet ad entitatem actionis transeuntis: actiones verò sensuum interiorum, & multò magis intellectus & voluntatis perfectæ sunt ac simpliciter immanentes; quia nec aliquid exterius efficiunt, nec earum potentiae immediatè ab externo patiuntur obiecto. Ferrar. in 4. cont. gent. c. 11. circa princ. doctè & subtiliter explicat hunc punctum.

Tertium est conclusionem D. Thom. esse fidei confessionem, vt opimè deducit Zum.

CONTROVERSIA VNICA.

Quenam sint diuinarum processionum principia proxima?

DV. in 1. dist. 6. q. 2. & dist. 10. q. 2. & dist. 27. q. 2. Sententia & 3. docet diuinas processiones esse immediate ex diuina natura secundas, non autem ex intellectu & voluntate; ex quo deducit primò processiones in diuinis praetelligi actionibus intellectus & voluntatis & ipsismet potentijs, quae sunt intellectus & voluntas. Secundò deducit futuras in Deo dictas duas processiones, tamen si Deus non esset intelligens & volens; quia secundum illum Deo conueniunt duae processiones, non ex eo quod est intelligens & amans, sed ex eo quod est infinitum ens, habens naturam infinitè secundam. Eandem sententiam Zumell. ascribit Greg. Arim. qui tamen, vt etiam aduertit Vasq. c. 1. non negat processionem verbi esse formaliter intellectiōem, & spirationem amoris esse actum volendi: quamuis neget in diuinis esse principium quo processionum ratione distinctum à principi-

E 2 pio

Due conditiones actionis immanentis.

Iauellus de sententia.

In lib. An omne quod est bonum sit: circa illud fuerit.

9. 14. a. 4. & 7. q. 19. a. 5.

Sententia Doctorum.

pio quod; qua parte videtur Ariminensis non nihil fauere Durando.

Suar. *lib. 1. de myst. Trin. c. 8.* sequens Henricum quodl. 8. qu. 1. censet actum intelligendi paternum esse proximam rationem & quasi virtutem & principium quo Pater communicat essentiam Filio; & idem dicendum esse de actu amandi in Patre, & Filio per comparisonem ad Spiritum sanctum.

S. Thom. autem in hac tota q. & alibi saepe docet principia diuinarum processionum proxima esse intellectum & voluntatem; quam sententiam sequuntur & tuentur omnes eius discipuli, & expositores super hoc a

Resolutio.
Non omnes
sed quidam
tantum natura
esse
secundas.

SCIENDUM est primò naturam illam in rebus creatis propriè dici secundam, quæ se ipsam potest pluribus vniocè, id est, secundum eandem omnino rationem per actum generationis propriè dictæ communicare: quales sunt omnes perfectiorum animalium species; Dixi primò vniocè; quia naturæ communicatio secundum analogiam similitudinè non est propriè fecunditatis effectus; non enim dicitur sol secundus eo, quod sua virtute producat in terra mineras, plantas, vermiculos, ranas & plura similia, quæ non vniocè sed analogicè tantum cum eius natura conueniunt. Dixi per actum generationis propriè dictæ; quoniam etli plurimæ sint in rebus inanimatis vniocæ causæ, quæ sibi similes secundum eandem omnino rationem effectus producit, ut ignis causat ignem, & quodlibet elementum aliud alterat, ut in seipsum conuertat, & calor calorem, siue potius res calida calidum efficit, & frigida frigidum; nec tamen aliquid horum fecundum est aut dicitur: quia fecunditas earum dicitur est proprietas siue conditio naturarum, quibus propriè conuenit generatio; hæc verò viuentia sunt.

actionem
omnem esse
aut immanen-
tem, aut
transeuntem.

Secundò, Notandum est actionem omnem possibilem naturæ conuenire sufficienter diuidi in immanentem & transeuntem. Nam omnis actio perfectio quædam est & perfectiui rationem habet ac perfectibile respicit; quod duplex tantum est, nimirum agens ipsum cuius est actio, & passum quod extrinsecum est ab agente; & siquidem actio fuerit agentis per se primò perfectiua, id est, ad eum perficiendum per se primò directæ, erit actio immanens; si verò passi siue rei ad extra productæ fuerit perfectiua, dicitur transiens; igitur impossibile est esse aut imaginari tertium actionis genus, ut hic etiam aduertit Cai.

Distingui-
tur & ex-
plicatur du-
plex opera-
tionis prin-
cipium, &
ostenditur
soli nature
diuine con-
uenire com-
municabili-
tatem per a-
ctionem im-
manentem.

Tertiò Observandum est in qualibet rei productione duplex principium considerari. Primum est suppositum siue res subsistens, cui propriè tribuitur operatio tanquam agentis; Nam iuxta commune dictum, actiones sunt suppositorum siue subsistentium, & hoc nuncupatur principium quod. Secundum est forma, quæ in ipso operante est, & eidem est agendi ratio; & ideo dicitur principium quo; sicut ignis principium est cui ut agentis, & consequenter ut principio quod tribuitur calefactio; eius autem forma, quæ illi ratio agendi est, principium est & dicitur calefactionis ut quo; sic igitur principium ut quod generationis in viuentibus est ipsum viuens, quod propriè dicitur generans: principium autem ut quo generationis, quod est agendi ratio, forma & virtus est generantis. Sed quemadmodum duplex est in agente forma, quæ eidem est agendi ratio siue qua potens sit ad operandum: una substantialis, qua constituitur agentis natura & esse specificum ac substantiale: ut exempli gratia in igne forma eius substantialis, & in animali anima; alia quæ

substantialem consequitur, ut calor in igne, & generatiua potentia in animali; ita duplex est principium actionis ut quo. I. primum & proximum: principium primum ut quo est forma substantialis cum qua computatur natura præcisa suppositalitate, sic enim dicitur forma metaphysica: unde Arist. in 2. Phys. definiens naturam dicit: *Natura est principium motus & quietis primò & per se & non secundum accidens*; constat autem naturam dici non tantum de materia & forma, sed etiam de ipsa rei essentia, ut ait S. D. 3. p. quest. 2. artic. 1. Est igitur forma rei substantialis, tam physice quam metaphysicè sumpta, primum actionis principium ut quo. Principium autem proximum operationis ut quo potentia est, quæ rei naturam consequitur; & quoniam habitus & quævis perfectio potentie superaddita ad eius quodammodo complementum pertinet, ut patet in habitibus & formis intellectui & voluntati superadditis: idcirco hæc omnia ex parte potentie se tenent in re proposita, & ut vnum principium proximum operationis cum ea computantur.

Cum itaque natura sit primum & non proximum operationis siue productionis principium: nec eadem sint principia proxima operationis transeuntis & immanentis, sed longe diuersa, sicut etiam dicta operationis genera valde distant; sequitur primò eam omnem naturam fecundam, quæ per suam actionem transeuntem communicabilis est, si sit etiam intelligens & volens, non esse sui ipsius communicatiuam, aut actu seipsam communicare, sub ea ratione qua intelligens est & volens, sed post solam potentiam actioni transeunti deferuentem secluso concursu intellectus & voluntatis ut ratione agendi siue actionis principio; quod dico: quia duæ prædictæ potentie ad actum generationis in homine concurrunt ut applicantes actiua passiuæ, quod tamen non sufficit, ut dici possint generationis principia. Secundò sequitur omnem illam naturam fecundam, cui repugnat communicari per actionem transeuntem, necessariò communicari per actiones immanentes. Nulla verò potest esse natura, cui conueniat fecunditas, & cui repugnet communicari per actionem transeuntem, nisi sit purè intellectualis & infinita simpliciter. Nam humana natura licet sit intellectualis, quia tamen est etiam corporea virtutem habens omnem vegetatiuam, idcirco communicabilis est actione transeunte, sicut & alie inferiores nature. Angelica verò natura, cum per seipsam sit indiuidua, non potest actione transeunte communicari, ut ait S. D. inf. quest. 45. ar. 3. ad 1. & quia finita est, idcirco intelligere & velle non est eius esse, nec verbum aut amor in ea procedens est substantia, sed accidens, & ideo nec per actionem aliquam immanentem potest communicari. Consequens igitur est, ut ex omnibus purè intellectualibus naturis, soli diuina nature, cuius intelligere est eius esse, & verbum atque amor substantiæ quædam sunt, tria prædicta conueniant, nimirum fecunditas, repugnantia ad communicabilitatem per actionem transeuntem, & communicabilitas per actiones immanentes, quas iam supra diximus cum D. Th. non esse nisi duas sc. intelligere & velle. Cur verò non possit operari natura seclusa potentia, & seipsam communicare: nulla potest à quouis sapiente causa produci, nisi quia natura est, cui hoc ipso debetur esse non proximum, sed primum tantum operationis principium: Quo fit, ut vana sit imaginatio Durandi fingentis actum natu-

naturæ priore actibus potentiarum. Sed ad maiorem prædictorum intelligentiam.

Quartò Considerandum est naturam & intellectualitatem non distingui quasi duas naturas, sed potius ut commune contrahibile, & ut speciale contrahens. Nam intellectualitas differentia quædam est siue modus distinctiuis, & determinatiuis naturæ ad ordinem, siue gradum intellectualem: qui modus siue gradus adhuc distinctibilis est in duos, qui sunt intellectualitas vel gradus naturæ intellectualis creatæ ac finitæ, & gradus naturæ intellectualis increatæ & infinitæ. Et prior quidem intellectualitatis modus constituit naturam intellectualem infœcundam: & talis est omnis natura Angelica, cui repugnat fœcunditas ob iam dictam causam. Posterior autem modus constituit naturam fœcundam, quæ sola est natura diuina: Et quemadmodum diuina natura, ex hoc, quod actus purus est simpliciter infinitus, præhabet eminenter in se naturarum omnium perfectiones: ita processiones quæ in Deo sunt, ob eandem causam præhabet eminenter in se perfectiones omnium processionum, per quas in rebus creatis communicantur naturæ. In quibus tria cõsideramus: Primum, quod per eas communicatur rerum naturæ: cuius causa est naturæ communicatæ fœcunditas. Secundum est, quod per actionem transeuntem fit communicatio: huius verò causa est, quam diximus, quia nimirum omnis natura creata fœcunda corporea est vim omnem habens animæ vegetatiuæ. Tertium est, quod singulæ sunt imperfectæ, cum nulla earum omnem sui generis habeat perfectionem, sed exiguum tantum illius modum seu gradum participet, sicut etiam plura cum sint vnius naturæ supposita, nullum tamen est cui tota conueniat naturæ perfectio quo ad omnes possibiles essendi modos, sed vnum tantum ex illis participat. Diuinis autem processionibus ex eo quod eminenter continent omnem creaturarum processionum perfectionem, & in infinitum excedunt, tria ad perfectionem spectantia conueniant. Primum est, ut sint ipsius diuinæ naturæ communicatiuæ, cuius ratio est fœcunditas eiusdem naturæ diuinæ. Secundum est, ut communicatio naturæ fiat per actiones immanentes intellectus & voluntatis: cuius ratio est intellectualitas infinita naturæ, ut ante diximus. Tertium est, ut neutra multiplicetur, cum vna tantum sit & esse possit processio in Deo secundum intellectum, & vna tantum secundum voluntatem; cuius ratio est summa & infinita vtriusque perfectio, ut ait S. D. hic in respon. ad tertium.

Perfectio diuinae processionis.

Actum intelligendi. Patet, & actum amandi. Siue actus intellectus vel voluntatis, ut producatur, non autem ut principium quo.

Quintò sciendum est ex D. Tho. in 2. cont. gentes, cap. 10. potentiam de Deo dici per respectum ad facta siue producta secundum rei veritatem, non per respectum ad actionem; sed tamen secundum modum nostrum intelligendi, prout intellectus noster diuersis conceptibus vtrumque considerat, scilicet diuinam potentiam & eius actionem, dicitur etiam in Deo potentia per respectum ad actionem tam immanentem quam transeuntem. Nam, ut sæpe diximus, præhabet diuina natura rerum omnium perfectiones eminenter seclusis earum imperfectionibus; potentia verò in creaturis perfectionem quandam dicit, ea ratione, qua virtutem significat effectus operatiui: Sed quia potentialitatem denotat actione perfectibilem, claudit etiã imperfectionem intrinsecam. Similiter actio creata perfectio quædam est, cum actualitatem significet: sed quoniam de eius ratione est, ut à principio depen-

deat, ut ait S. D. de pot. q. 1. a. 1. ad 1. idcirco admixtam habet imperfectionem. Intellectus autem noster cum Deum & perfectiones eius cognoscat ex perfectionibus procedentibus ab eo in creaturas: eo modo diuinas perfectiones apprehendit, quo sunt in creaturis: & sicut apprehendit, ita significat per nomina. Igitur in nominibus, quæ Deo attribuimus, duo sunt consideranda, scilicet perfectiones ipsæ significatæ, ut bonitas vita &c. & modus significandi: quo ad perfectiones significatas dicuntur nomina de Deo propriè, non autem quoad modum significandi ut ait S. D. supra q. 13. a. 3. nec tamen intellectus noster sic diuinas perfectiones intelligens falsus est, quia nec apprehendit ita esse in re, nec affirmat talem modum rei conuenire, sed talis modus se tenet tantum ex parte intellectus, cui conaturale est diuina cognoscere ad modum rerum creaturarum: unde etiam simplicia intelligit componendo & diuidendo, & materialia immaterialiter: non quod intelligat simplicia esse composita, & materialia esse immaterialia, sed quia intellectus intelligendo modum habet compositionis & diuisionis & immaterialitatis, ut perspicue docet S. Th. in d. q. 13. a. 12. ad 3. & alibi sæpe.

Ex dictis patet falsitas opinionis Suar. superius relatæ dicentis actum intelligendi & amandi esse principium quo producendi, & non ipsam productionem; nam quamuis in Deo secundum se intellectus diuinus sit essentialiter actus vltimus intelligendi, & sit idem formaliter quod intelligere: non tamen ob id sequitur intellectum Dei non concipi à nobis ad modum potentie per actum perfectibilis, & ipsum intelligere non concipi ad modum actus secundi, siue operationis ex intellectu ut principio procedentis; alioquin nulla esset à nobis concipienda distinctio inter essentiam & esse, inter essentiam & intellectum & voluntatem, & alia similia quæ se habent in nobis ut perfectibile & perfectiuium: quia prædicta omnia secundum se formaliter idem sunt: immò & eadem ratione tenetur Suarez admittere actum intelligendi & amandi non esse principium quo productionis, & termini producti: quia nimirum productio secundum se eadem formaliter est cum suo principio quo; est enim hoc essentialiter & consequenter indistinctum secundum se formaliter à notionalibus, ut sæpe notauimus cum Cai. & præsertim q. 12. a. 7. Contr. 2. & infra docet Cai. q. 39. a. 1. Cum igitur ad prædicta distincte à nobis concipienda sufficiat distinctio illa virtualis, quam subtiliter explicat Caiet. in q. 54. a. 1. non est audiendus Suar. & quicumque negat actum intellectus diuini non recte concipi distincte ab ipso intellectu, eo modo quo productio distinguitur à principio quo productionis, aut rei productæ. Siquidem ex tali concipiendi modo nulla in Deum, etiam ut à nobis cognitum, redundat imperfectio, sed rota quæ in hoc intelligendi modo est imperfectio, ex parte intellectus nostri & cognitionis se tenet: non enim apprehendimus aut affirmamus actum intelligendi, & amandi ab intellectu & voluntate procedere, licet vtrumque ad modum procedentis intelligamus. Vnde rationes, quas adducit Torres ad probandum actum intelligendi & amandi in Deo non esse principium quo productionis, sed productiones ipsas, firmissime sunt: nec responsiones quas eisdem adhibet Suar, aliquid valent; cum oēs falsò illi innitatur principio videlicet intellectum & intelligere in Deo formaliter idem esse, non tantum secundum se,

Suar. opinio rejicitur.

verum etiam secundum nostrum modum intelligendi.

Explicitur quatuor in diuinis considerata scilicet principia quod est quo primum & proximum & productio, quae sunt intellectus generis vel se.

Postremo observandum est quatuor in Deo considerari ad rem propositam pertinentia scilicet principium quod, principium quo primum, principium quo proximum, & productiones quae ad personas procedentes terminantur. Principium quod duplex est, sicut etiam duplex est processio. Nam Pater est principium quod respectu filij reale & realiter ab eo distinctum: & eadem ratione respectu passivae generationis filij, quae notionale quoddam est idem realiter & adequatè cum Filio; respectu verò generationis activae, quae paternitatem per modum actus significat, non potest esse pater reale principium; alioquin Pater seipsum produceret: quia Pater & paternitas idem sunt realiter & adequatè. Aliud principium quod, est Pater & Filius quatenus vñ sunt in spiratione Spiritus S. nuncupatur autem hoc principium quod vno vocabulo spirator, de quo proportionaliter idem censendum est cum eo, quod diximus de principio quod respectu filij, & respectu generationis activae & passivae. Nam spirator reale principium est Spiritus S. realiter ab eo distinctum, & eodem modo principium est spirationis passivae: respectu verò spirationis activae non est principium nisi secundum nostrum modum intelligendi. Principium autem quo primum diuina essentia est respectu vtriusque processionis ac procedentis. Nam productum assimilatur producenti in forma, quae est illi ratio agendi siue producendi: constat autem Filium & Spiritum S. assimilari suo principio productiuo, non in proprietate aliqua relatiua, sed in ipsa diuina essentia eadem numero sibi communicata; igitur diuina essentia erit principium primum quo, non tamen absolute, sed prout in Patre principium est Filij: prout autem est in spiratore, principium est Spiritus S. Nulla verò ratione potest essentia diuina esse principium quod: nam, principium quod realiter distinguitur ab eo cuius est principium: at haereticum est dicere diuinam essentiam distinguere realiter à Filio & Spiritu S. quae solae sunt personae procedentes in diuinis, ergo diuina essentia non est earum principium quod, quamobrem diuina essentia neque generat neque spirat, sicut non generatur neque spiratur, vt decernit sacrum Concilium Later. cap. Damianus de summa Trinit. & fide cath. Principium autem quo proximum duplex est: nam intellectus prout est in Patre, principium est quo proximum ipsius Filij & generationis eius; Voluntas autem est proximum spirationis Spiritus S. principium, quatenus est in spiratore id est in Patre & Filio, prout sunt vnus spirator; nam principium quo siue proximum siue remotum significat absolutum in recto, relationem autem in obliquo; vt ait S. D. infra q. 41. art. 5. Vbi aduertendum est essentiam & intellectum non esse accipienda vt duo principia, sed vt vnum & vna potentia constans ex proximo & primo concurrentibus vt notat Cai. in d. quaest. 41. a. 5. quod idem dicendum est de essentia & voluntate Patris & Filij respectu spirationis Spiritus S.

Denique in diuinis consideramus productiones, de quibus inter expositores Controuersia est, an sint actus intelligendi & amandi formaliter, vel sub aliqua alia ratione? Sed quoniam de hacre copiose differendum est infra q. 37. a. 7. nunc breuiter dico primum intelligere in Deo essentialiter tantum esse: diligere autem quandoque sumi vt essentialiter, quandoque verò vt notio-

nale; hoc dictum est D. Thom. in dicto art. 1. quaest. 37. Sed quamuis in Deo sit vnum tantum intelligere commune tribus personis, non tamen est in singulis sub eadem proprietate, siue respectu; nam in Patre est vt in primo principio, quod à nullo est alio principio: in Filio verò est vt à patre per generationem acceptum: denique est in Spiritu Sancto, vt eidem à Patre & Filio spiratione communicatum. Itaque Patris intellectio quae illi communis est cum Filio & Spiritu S. est ipsa Filij productio, quatenus in Patre est ab alio non accepta, & vt in primo principio. Nam hoc ipso, quod Pater habet essentiam & intelligere à se, potentiam habet alteri personae communicandi essentiam suam per ipsum actum intelligendi, qui est generatio, supposita ipsius essentiae fecunditate; & cum perfectissima sit diuina generatio, multiplicari non potest, vt plures sint personae genitae. Ex quo sequitur, vt essentia in Filio & Spiritu S. non possit esse ratio generandi, neque intellectio sit in eis generatio. Ratio igitur ob quam vna sola persona generat in diuinis, & in ea sola intellectio est generatio, haec est: quia licet in omnibus sit eadem intellectio, non omnes tamen illam habent à se, siue à nullo acceptam, sed vna sola nimirum Pater: reliquae verò duae intellectio nem habent ab alio sibi communicatam, nempe Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre & Filio. Actus verò dilectionis non potest esse productio, nisi quatenus est à duobus: hi verò sunt Pater, quod est principium non de principio, & eius verbum siue quo amor esse non potest: & quia perfectissima in Deo est amoris processio, non est possibile vt alius ex amore productio procedat amor. Dilectio itaque non est amoris productio, nisi prout est Patris & Filij.

Reliqua verò ad hanc materiam pertinentia suis locis explicanda referuamus. Videnda sunt etiam ea, quae supra diximus art. 1. Cont. 3. de intelligere & dicere, & huic loco accommodanda: nam intellectio productio est, quatenus est dicere: sicut etiam diligere non alia ratione productio est, quam vt spiratio. Et per haec solui facile possunt argumenta Mol. & aliorum quorundam recentiorum contra Turrianum, & alios affirmantes intelligere & diligere esse productiones personarum in diuinis: intelligendum est enim in sensu iam dicto. Et ex his patet non esse in Deo duplex intelligere scilicet essentialiter & notionale vt volunt Torres, Zumellus & quidam alij. Sed vnum tantum, quod est in tribus personis sub diuersis proprietatibus; & similiter dicendum est de dilectione, quae vna tantum est in distinctis personis distinctos habens respectus; distinguitur tamen in essentialem, & notionalem: sed haec distinctio non est rei, sed vocis in suas significationes vt aduertit Cai. inf. q. 37. a. 1.

PRIMA CONCL. Filius à Patre producit per actum intellectus, qui est intelligere & dicere, non autem per actum naturae immediatè. Haec conclusio videtur mihi fidei confessio. Primum: quia nimis apertum habet ex sacris litteris testimonium, in quibus Filius frequenter nuncupatur verbum. Ioan. 1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum: & ibidem: Verbum caro factum est: & 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in Caelo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & Psal. 44. Eructauit cor meum verbum bonum: quem locum exponentes D. Amb. & D. Aug. in suis commentarijs affirmant intelligendum esse de verbi diuini generatione; de qua etiam exponit Augu-

Intellectio
qua ratione
sit productio.

Dilectio
quomodo sit
productio.

Defenditur
Turrianus
contra Mol.
& alios.
Reijcitur
distinctio
Turriani,
& Zumelli.

Conclusio
nes de
ita, & probatur.

Augustinus & Greg. locum illum Psalm. 67. *Se- mel locutus est Deus & Eccl. 24. Verbum diuinum quod est sapientia genita, de seipso loquens ait: Ego ex ore altissimi prodij primogenita ante omnem creaturam.* Certum autem in scripturis per os Dei eius intellectum significari. & 1. Corin. 1. ait Apost. *Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Sed

Durandi re- sponso.

Confer.

ait Durandus hæc loca non secundum proprietatem, sed secundum quandam accommodationem vel appropriationem esse intelligenda: dicitque generationem Filij esse per intellectum, & Filiū esse verbum, eo quod præcedat generatio Filij processionem Spiritus S. sicut operatio intellectus prior est operatione voluntatis. *Sed hæc responsio errorem adiungit errori & satis apertè declinat ad hæresim Arrij, Eunomij & Alogianorum dicentium Filium in sacris litteris metaphoricè tantum, & non propriè dici verbum, ut refert Epiphanius hæresi 51. Nec cohæret hæc responsio cum ipsius Durandi sententia, quæ statuit vtramque processionem esse immediatè per naturam, ut natura est; Nam si ita est, quomodo vna erit prior & altera posterior? & qua ratione vna erit generatio, & non alia? & cur duæ sint, & non plures, aut vna tantum processio? & tandem cur vna sit ab vna tantum hypostasi, alia verò à duobus? Secundo. Sacrum Concilium Constantin. quantum in expositione fidei sic loquitur: *Vnus Deus Pater verbi uentis, sapientie subsistentis, &c. & inferius: Vnus dominus solus ex solo Deo Deus character, & imago deitatis, verbum operatiuum, sapientia consistentia omnium comprehensua, &c.* quæ cum in sensu proprio ad intellectum pertineant, apertè significant filij processionem non esse immediatè à natura, sed media intellectiua potentia. Tertiò. SS. Patres Amb. Aug. Chrys. Cyril. Basil. Iren. Theod. Damasc. Ansel. & alij quos referunt Ban. Zum. Val. & Vasq. *super hoc a. & Suar. lib. 1. de Trin. c. 5.* diuinas processionem semper explicant per operationes intellectus & voluntatis quæ sunt intelligere & amare, quorum sententiam secuti sunt omnes antiqui Theologi, quos referunt Vasq. & Suar. *in dicto capitulo.* Denique sententiam Durandi ut temerariâ & errori proximam reiecerunt, & acriter impugnauerunt vniuersi Theologi, qui post ipsum scripserunt, & præsertim discipuli D. Tho. quos lege si placet.*

SECUNDA CONCL. *Intelligere Patris non est proxima ratio, siue principium quo proximum generationis Filij, sed est ipsamet generatio.* Probatur. Nā si intelligere Patris est principium quo, sequitur in Patre esse aliquid alium actum, qui sit productio, cuius principium esset actus intelligendi; at hoc esse non potest; ergo. Sequela probatur: quia inter principium agendi & terminum mediat actio. Minor probatur: quia vel illa actio est intellectio vel non: si primum ergo intellectio est principium intellectionis, & sic vel est duplex intellectio, vel eadem est sui principium: Si secundum sequitur non produci verbum per actionem, quæ sit intellectio. Huic argumento respondet Suar. & negat sequelam: quoniam in diuinis non inueniuntur verè & propriè actiones, ut etiam sentit S. Th. *infra q. 41. a. 1. ad argumenta* quia (inquit) actio in suo conceptu, & ratione formali claudit imperfectionem & rationem dependentiam; Cum itaque producit verbum, non mediat actio inter principium proximum quo, & terminum sed actus intelligendi paternus est principium quo habens modum actus, in quo assimilatur productioni humani verbi. *Sed in primis falsum est actionem in suo*

Responsio Suarezij.

Confer.

A conceptu formali claudere imperfectionem; nam ut supra notauimus ex D. Thom. dependentia illa actionis ex principio non significatur nomine actionis, sed ad modum tantum nostrum intelligendi & significandi pertinet: nec verum est D. Thom. absolute negare in diuinis actionem propriè & formaliter dictam: sed à Deo tantum actionem remouet, qua ratione motum implicat, ut patet in dicto art. Denique licet D. Thom. quandoque neget actiones immanentes esse propriè actiones, ut supra notauimus art. 1. affirmat tamen eas esse operationes, nec vnquam dixit eas esse principia, quibus termini producuntur, sed oppositum vbique semper significauit: ut patet in hac tota 1. quæst. B & alibi.

TERTIA CONCL. *Natura siue essentia diuina est principium primum quo generationis Filij, & processionis Spiritus S.* Hæc patet ex dictis, & explicabitur infra q. 41. a. 5.

CONTRA primam concl. argum. Dur. Primò. Communicatio naturæ prouenit ex fecunditate ipsius naturæ; ergo non prouenit ex intellectu & voluntate; ergo illis præcisè sicut remanet natura, ita remanet fecunditas, & actus communicatiuus naturæ. Antecedens est per se notum, & patet inductiue: & probatur auctoritate Hilarij. *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit filio ex impassibili, &c.* prima & secunda consequentia simul probantur. Quoniam qualis est ordo inter aliqua, cum distinguuntur realiter, similis est ordo inter illa, cum distinguuntur ratione: sed ubi natura distinguitur realiter à voluntate & intellectu, natura est prior intellectu & voluntate, & actus naturæ est prior actibus intellectus & voluntatis; ergo erit etiam similis ordo in diuinis, ubi distinguuntur secundum rationem naturæ & intellectus & voluntas. Resp. cum Caiet. falsam esse consequentiam; & ratio negationis est: quia stat quod actus communicatiuus naturæ sit ex fecunditate eius, & tamen non præcedat actum intellectus aut voluntatis: quoniam naturæ illi repugnat communicari per alium actum, quam intellectus & voluntatis. Ad probationem consequentiæ respondetur falsam esse minorem quo ad id, quod manifestè supponit, videlicet naturæ fecundæ conuenire actum communicatiuum seculis potentij. *Sed contra.* Intellectus præsupponit naturam secundam; ergo actus intellectus præsupponit actum naturæ fecundæ. Respond. falsam esse consequentiam: quoniam talis forma argumentandi non tenet in subordinatis, quorum est vna & eadem operatio, ita ut primum non nisi per secundum valeat operari, sicut in proposito.

Replica.

Solut.

Obi. 2.

Sol.

Secundò sic argumentatur: Si calor esset intelligens & volens, non calefaceret in quantum intelligens aut volens, sed ex natura sicut nunc; igitur per se & primò communicare naturam est actus naturæ omni alio excluso. Respondetur cum Caietano conditionalem illam & similes esse veras de formis communicabilibus per actionem ad extra, quas formas fingimus habere annexam intellectualitatem, non quidem ut differentiam determinatiuam ad modum communicationis sui, sicut in proposito ut supra diximus; sed imaginamur tales formas habere annexam intellectualitatem ut proprietatem, quæ nihil pertinet ad modum communicandi, sed eo posterior est, ut patet in homine.

Alia argumenta pro sententia Dur. & eorum A
solutiones lege apud Expositores & præsertim
Zum.

Obi. 1. cōt. 2.
concl.

CONTRA secundam concl. argum. Suar. Pri-
mo: Intellectus diuinus per seipsum & essentiali-
ter est actus vltimus intelligendi, ita vt in Deo
non tam sit intellectus, quam ipsum intelligere;
ergo si intellectus est principium proximum à
fortiori ipsum intelligere. Conseq. patet. An-
tecedens probatur, quia intellectus dicit poten-
tiam, intelligere autem actum dicit. Resp. ante-
cedens dupliciter intelligi posse: vno modo vt
à parte rei, siue secundum se intellectus diuinus
sit per seipsum, & essentialiter & formaliter ac-
tus: & hoc verissimum est, vt supra diximus: &
tunc consequentia non valet nisi in eodem sen-
su videlicet à parte rei, siue secundum se & res-
pectu producti scilicet verbi & amoris; quod
etiam nos admittimus dicentes cum D. Tho. &
Caiet. *infra q. 41. a. 4.* potentiam productiuam
in diuinis poni respectu ipsorum actuum, non
secundum se id est non quo ad ipsos actus secun-
dum se sumptos, sed secundum eorum terminos
realiter emanantes; Nam à parte rei, siue secun-
dum rem idem sunt potentia & actus, & ideo nō
potest actus secundum se vere & realiter à poten-
tia produci, aliās idem produceret seipsum. Alio
modo potest antecedens intelligi secundum mo-
dum nostrum concipiendi, & significandi, & sic
falsum est tam in Theologia, quam in Me-
th. vbi simplicissimam & vnicam Dei perfecti-
onem multis conceptionibus apprehendimus, &
distinguiamus in multas perfectiones: quarum
quædam se habent respectu aliarum ad modum
potentia, non solum productiuæ sed etiam rece-
ptiuæ, vt patet de essentia respectu esse & res-
pectu intellectus & voluntatis, & de intellectu res-
pectu sapientia, prouidentia, prædestinationis
& actus intelligendi; & similiter de voluntate
respectu iustitia, liberalitatis, misericordia &
volitionis: quorum distinctio & habitudo po-
tentia & actus Deo non attribuitur, sed ad no-
strum dumtaxat imperfectum pertinet intelli-
gendi modum; eo quod diuina capere non pos-
sumus prout in seipsis sunt: alioquin si non licet
hoc modo diuina concipere, inanis esset omnis
Theologi ac Methaphysici labor, qui diuinas
perfectiones sic conceptas speculantur & com-
parant, & in difficultatibus ex eis vt sic conce-
ptus, & comparatis emergentibus dissoluendis
insudant. Itaque dicendum est in diuinis esse
potentiam generandi, quæ est secundum re prin-
cipium proximum generationis, non secundum
se, id est ratione ipsius generationis, sed ratione
geniti siue secundum quod ponit genitum, vt
explicat Cai. *infra q. 41. a. 4.* de mente D. Tho.
& consequenter talis potentia non est principiū
actus secundum se sumpti, nisi secundum modū
nostrum intelligendi vt ante diximus.

Obi. 2.

Secundò, differunt verbum diuinum & hu-
manum: quod humanum ad hoc producit, vt
constituat producentem in actu secundo intelli-
gendi: verbum autem diuinum non producit,
vt constituat Patrem intelligentem, vt probat
Aug. *lib. 15. de Trin. c. 7.* Igitur principium quo
humani verbi est actus primus, id est species:
principium autem quo verbi diuini est actus in-
telligendi. Et confirmatur; quia ibidem Augu-
st. ita concludit: Verbum Dei est sapientia genita
ex sapientia generante; ergo Pater quatenus in-
finitè sapiens, producit verbū eadem infinita sa-
pientia sapiens; ergo ipsamet sapientia Dei, quæ
nihil aliud est quam actus intelligendi eius, est

Conf.

proxima ratio illius communicationis. *Respon- sol.*
nullam esse consq. Nam ratio, cur distinguatur
actus verbi productiuus ab intellectu nostro &
specie, vt secundus à primo, siue vt productio à
principio quo productionis, non est quia ver-
bum constituat producentem in actu secundo:
sed propria causa est quia verbum est terminus
operationis immanentis eadem operatione pro-
ductus, quæ operatio distinguitur realiter ab in-
tellectu & specie. Nam vt *in 1. art.* notauimus,
cum verbum sit terminus intellectiois, prout
intellectio est dictio, necesse est in omni intelle-
ctu, prius esse aut saltem concipi actum intelli-
gendi, quam verbum: quamuis apud nos, qui
verbo siue per verbum rem eo repræsentatam
intelligimus, compleatur intellectio per ip-
sum verbum; Itaque licet Pater verbo produ-
cto non intelligat, terminari tamen intelligitur
eius intellectio ad verbū ipsa intellectioe pro-
ductum. Verum ex argumento sequitur aliud
absurdum. Nam si verbum humanum constitu-
it producentem in actu secundo formaliter; igitur
verbum est ipsemet actus secundus, & con-
sequenter non producit actu secundo tanquā
principio quo; alioquin idem suiipsius esset
principium. Dictum autem Augustini de sapien-
tia genita & generante manifestè intelligitur de
personis.

Tertio. Non potest rectè intelligi (maximè
iuxta opinionem Thomistarum) actum in-
telligendi esse per modum actionis; ergo debet in-
telligi per modum principij: Probatur conse-
quentia: quia non potest cogitari tertium mem-
brum. Antecedens probatur: quia actio in suo
conceptu & ratione formali includit imperfe-
ctionem & rationem dependentia, vt ex metha-
physica etiam suppono; ergo. *Resp.* falsum esse
antec. Ad probationem negatur antecedens; &
ratio negationis superius fuit adducta. Secundo
dico actū intelligendi esse operationem, quæ est
productio ipsius verbi.

Quarto. Si præter illum actum intelligendi
aliquid potest à nobis intelligi per modum ac-
tionis ad intra, id est tantum origo actiua, vt
respectu Filij est generatio, quæ origo non po-
test esse nisi relatio personæ producentis vel et-
iam personæ productæ; at actus intelligendi nō
est origo actiua nec in fieri nec in facto esse, vt
aduersarij fatentur; ergo actus intelligendi non
est ipsa productio vel actio qualis in Deo cogi-
tari potest; ergo est principium quo talis produ-
ctionis, *Resp.* primò id, quod per modum actio-
nis intelligitur in Deo, non esse aliquid præter
actum intelligendi, vt supponit argumentum:
sed esse ipsum actum intelligendi formaliter, vt
est in Patre. Secundo falsum est originem acti-
uam esse relationem præcisè: Nam vt dicemus
cum D. Th. *infra q. 47. a. 1.* est relatio per mo-
dum actionis concepta, & vtramque rationem
habet formaliter, scilicet relationis & actionis,
vt ibidem erit explicandum; & ideo falsum est
antecedens tam quo ad id, supponit, quam quo
ad secundam eius partem, quæ assumit originem
esse solam relationem: manifesta est enim impli-
catio dicere originem actiuā esse solam relatio-
nem; Nam si origo actiua est, hoc ipso est quæ-
dam actio: nihil enim actiuū formaliter est, nisi
actio, Si verò sola relatio est, hoc ipso actiua o-
rigo non est: quia relatio formaliter, neque ori-
go alterius est procedentis, neque actiua est, sed
hoc tantum habet, vt referatur ad aliud, vt do-
cet Aristoteles in prædica-
mentis.

QVAE-